



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro tertio Decretalium, In Quo De Obligationibus, Beneficiis, Aliisque Juribus Clericorum saecularium, & Regularium agitur ...

Pirhing, Ehrenreich

Dilingae, 1676

Titulus XXIII. De Solutionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98275](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98275)

non existerit, & convenerit, dum adhuc solvendo erant. Neque hoc obesse potest aliis confidejssoribus, qui semel liberati non possunt inviti reduci in pri-

stinam obligationem, l. Inter eos; § 1. §. Cum inter; ff. h. t. l. Liberum; 16. C. eod. Zaf. ff. h. t. n. 28. apud quem plura de hac re videri possunt.

TITULVS XXIII.

DE SOLVTIONIBVS.

Postquam in præcedentibus Titulis dictum est de pignoribus, & fideiussoribus, quæ sunt cautiones quædam, seu satisfactiones de solvendo debito, ideò nunc hoc Tit. agitur de solutionibus. Porro solutio dupliciter accipitur, vel generaliter, & latè, pro liberatione, seu satisfactione quocunque modo factâ, l. Solutionis; § 4. ff. de solutionib. l. Liberationi; 47. & l. Solutionis; 176. ff. de V. S. vel specialiter, & strictè, pro naturali præstatione, seu redditione eius, quod debetur, l. Solutam; 49. & l. pen. ff. h. t. quia tamen potissimum hic agitur de solutionibus obligationis, seu debiti, quod ex mutuo dato, & accepto contrahitur, ideò de contractu mutui quædam hoc loco scitu necessaria præmittemus.

§. I.

Quid sit mutuum, & de conditionibus requisitis ad substantiam & valorem eiusdem?

I.

Sertio 1. Mutuum definitur à Bartolo in l. 2. §. fin. n. ult. ff. de reb. credit. Est contractus celebratus ab aliquo, datione verâ vel fictâ rei consistentis in pondere, numero, & mensura, spe recipiendi tantundem in genere suo: quæ definitio est communiter recepta à Dd. ut videre est apud Azor p. 3. Instit. Tract. de mutuo c. 1. q. 2. à quo non multum distat definitio Valteji Lib. 1. Juris. Rom. c. 31. Mutuum, quæ & mutuatio dicitur, est contractus re initus, quo rem nostram in quantitate consistentem ita damus, ut qui accipit, eandem reddat, non quidem in specie: sed in genere. Addunt aliqui ejusdem bonitatis, & qualitatibus, Azor c. l. Dicitur contractus, quod ponitur loco generis, quamvis remotioris, nam proximum genus est creditum, cuius est species, Zasius ff. de reb. credit. n. 7. & quidem est contractus nominatus, quippe habens nomen proprium, & speciale, cum aliis contractibus non communicabile, & is qui dat, mutuans, qui verò accipit, mutuatarius appellatur. Dicitur autem mutuum contractus re initus, quia non solo consensu: sed re perficitur, Instit. dicto Tit. in princ. Quare etsi quis promittat se pecuniam, vel aliam rem mutuam alicui datum: non tamen prius est mutuum contractus, quam pecunia numeretur, vel res alia tradatur, l. 2. §. Creditum, ff. de reb. cred. Ubi dicitur, mutuum non potest esse, nisi proficiatur pecunia, vel alia res consistentis in pondere, numero vel mensura, Gl. ibid. V. Pecunia: in quo etiam differt à credito in genere, quod potest esse, sine rei interventu, cit. §. Creditum. Reli-

qua, quæ loco differentie posita sunt in allatis definitionibus, patebunt ex dicendis.

Il. Assertio 2. Ad substantiam & valorem mutui requiritur primò, ut dominium rei traditæ transferatur in accipientem; nam dare est dominium transferre, §. Sic itaque, Institut. de action. Ubi dicitur, dari cuiquam id intelligitur, quod ita datur, ut ejus fiat, ideòque in mutui datione oportet dominum esse dantem, l. 2. §. In mutui, ff. de reb. credit. appellata est enim mutui datio ab eo, quod de meo tuum fit, & ideò si non fiat tuum, non nascitur obligatio mutui, cit. l. 2. §. Appellata: vel saltem oportet mutuo dantem esse quasi dominum, secundum Gl. in cit. l. 2. §. In mutui, V. Dominum, & tunc transfertur in accipientem usufructuendi conditio, Vult. cit. c. 31. §. Est autem. Etiam hoc mutuum distinguitur à commodato, deposito, locatione, & pignore, in his enim dominium rei in accipientem non transfertur. Est autem duplex mutui datio, vera, vel quasi, sive ficta. Vera est, quæ ab initio statim traditione & acceptione rei perficitur: quasi seu ficta est, quæ cum ab initio non esset, ex post facto inducitur ex legis dispositione, Vult. c. l. §. Mutui datio. Ut si quis pecuniâ apud aliquem depositâ, postea permittat, ut ea utatur, tunc pecunia, quæ est deponentis, fit depositarii, l. Certe; §. 9. §. fin. ff. de reb. cred. nam hujusmodi consensus est loco traditionis, Zasius ff. eod. n. 12. Porro creditor non cogitur probare, pecuniam, quam mutuavit, esse suam; non enim inquirendum est, unde originem pecunia credita habuerit, sive ad eum pervenerit: sed sufficit, ut propriam creditam esse, l. Non unde; 7. C. Si certum petat. Et hinc etiam pecunia ex re furtiva redacta, mutuo dari potest; quia licet fur non sit dominus rei furtivæ, ideòque, si ea vendatur, non transferatur dominium, est tamen dominus pecuniæ ex illa acceptæ, l. Quivis; 48. §. fin. ff. de furtis, Accursius in cit. l. 2. In casu, res enim vitio furti affecta est, non autem pecunia ex ea redacta, Zas. ff. h. t. n. 13.

III. Secunda conditio requisita ad valorem mutui est, ut dehtur res, quæ in quantitate, hoc est, in numero, pondere aut mensura consistunt, sive quæ numerari, ut pecunia, vel ponderari, ut aurum, argentum, piper &c. vel mensurari, ut frumentum, vinum, oleum, non solum possunt, sed etiam solent, *princ. Instit. quib. mod. re contr. obl. l. 2. §. Mutui datio, ff. de reb. credit.* Ubi additur, quoniam eorum datione possumus in creditum ire, quia in genere suo functionem recipiunt (id est, permutationem, *Gl. ibid. V. eod.*) per solutionem (magis) quam per speciem, hoc est, ut explicat *VVesenb. in paratitl. ff. eod. n. 11. & Vultes. c. l. una*, vice alterius, fungitur, ita ut tamen si per solutionem una res pro altera reddatur, quia non idem corpus in specie, sive in individuo redditur, quod mutuo datum est: eo tamen ipso, quod resejusdem generis seu speciei, bonitatis, & quantitatis redditur, in effectu, & quoad usum, idem est, ac si eadem numero, sive in individuo res redderetur. v. g. si quis tibi pro urna vini Necarici optimi mutuo data reddat urnam ejusdem vini, hæc urna, quam recipis, fungitur vice ejus, quam tu mutuo dedisti; quia etsi revera sit diversa, hoc est, diversum corpus, sive aliud vinum in individuo, cum illud, quod datum, forte jam sit absumptum: quia tamen hoc vinum tantundem valet substantiâ, quantitate, qualitate & usu, tantumque tibi præstat, quantum illud, quod mutuo dedisti, præstare poterat, ideo in effectu non aliud pro alio, sed idem tibi solutum, & redditum censetur. Quare in iis rebus, quæ functionem non recipiunt in eodem genere, hoc est, non possunt facile reddi, in eadem bonitate & qualitate, non habet locum mutuum, sed vel permutatio, si dominium transferatur, vel commodatum, si usus tantum concedatur: cujusmodi res sunt equi, oves, & alia pecudes; nam licet hæc sint similes in eodem genere, seu ut Philosophi loquuntur, in eadem specie; ipsa tamen individua bonitate, qualitate & usu differunt, ideoque permutari quidem possunt, si conveniatur, ut alia ovis, alius equus reddatur, non autem proprie mutuo dari, *VVesenb. c. l.*

IV. Tertiò requiritur ad substantiam & valorem mutui, ut eadem res, non in specie seu individuo: sed in genere, hoc est, ejusdem naturæ, qualitatis, & quantitatis reddatur, *princ. Instit. quib. mod. re contrah. c. l. 2. in princ. ff. de reb. cred. alioquin si convenit, ut idem reddatur in specie, sive individuo idem corpus, aut eadem corpora, vel commodatum erit, ut si quis pecuniam v. g. alteri ad ostentationem vel pompam commodaverit, l. 3. & l. seq. ff. Commod. vel depositum, si quis solam pecuniæ custodiam alteri commendaverit, cit. l. 2. in princ. ff. de reb. cred. quod si convenit, ut non idem, sed aliud genus reddatur, v. g. pro tritico vinum, non est mutuum, sed permutatio, vel contractus innominatus, do ut des, cit. l. 2. in princ. & ibi *Gl. V. Non erit.* Ratio est, quia si eadem res in specie sive in individuo reddenda esset, inutile foret mutuum, cum rerum, quæ in pondere, numero & mensura consistunt, & materia sunt mutui, non alius sit usus, nisi abusus, & consumptio, ideoque inutiliter mutuo darentur, si eadem numero reddi deberent, *VVesenb. in parat. ff. de reb. cred. n. 11. Zasius ibid. n. 17.* Necesse tamen est, ut quando res ejusdem generis redditur, ejusdem quoque sit bonitatis,*

neque enim satisfaceret mutuo, si deterior redderetur, v. g. vinum novum pro vetere, quod intelligendum est de bonitate rei intrinseca, non de extrinseco revalore, qui pro temporum varietate mutari potest.

V. Quartò requiritur ad mutuum, ut sit gratuitum, juxta illud *Luc. 6. Mutuum date, nihil inde sperantes*, nam si preteritum interveniat, est venditio: si merces, locatio: si lucrum, usura, adeoque peccatum, *Azor tr. de mutuo c. 1. Vers. 4.* Etsi enim pro aliis cæterarum rerum, quarum dominium non transferatur in accipientem, titulo locati & conducti mercedem accipere liceat: illicitum tamen est pro usu pecuniæ creditæ lucrum aliquod sperare, vel accipere, cum dominium pecuniæ penes creditorem non maneat, sed in debitorem transferatur, neque res aliena alteri, sed domino utilitatem asserere debeat. Et hinc quod vi mutui dati, debitorem ultra sortem, sive id quod dedit, ad usuras solvendas obligat, satis ostendit, le non nisi spe lucri ex aliena pecunia acquirendi, & cum detrimento debitoris, mutuum date, quod non solum est contra justitiam: sed etiam contra charitatem proximæ, proficiscitur enim mutuum ex charitate, ut scilicet res ad necessarium usum opportune inter homines communicentur, adeoque suâ naturâ, gratuitum esse debet. Atque hinc usuraria pravitas principaliter, & propriè in mutuo committitur, quando ultra sortem aliquid ex mutuo accipitur, ut docent communiter *DD.* quamvis ex prava contrahentium intentione, etiam in cæteris contractibus aliquando usura reperiatur, ut constat ex *c. Consuluit; 10. de usur. c. Ad nostram; 5. de empr. & vend. c. Illo; 4. de pignor.* An autem ratione lucri cessantis, & damni emergentis, liceat aliquid ultra sortem accipere, suo loco dicetur.

VI. Cæterum illud hic addendum, si pecunia, vel alia res mutuo data, casu fortuito, perierit, & multo magis si culpâ, etiam levissimâ, debitoris seu mutuatarii, hic nihilominus reddere debet mutuum, ut constat ex *l. Incendium; 11. c. Si certum petas. & ibi Gl. V. Incendium.* Ratio est, quia per mutuum dominium rei creditæ transit in accipientem: res autem qualibet, si casu fortuito pereat, domino perit, *l. Pignus; 9. c. De pignor. act.* Excipi debet, nisi debitor ex mutuo, seu mutuatarius obtulerit creditorem quod debet, isque sine justa causa accipere recusaverit; nam si post oblationem factam, & recusatam, pecunia creditæ, vel alia res mutuata, sine culpa debitoris perierit, aut perdita sit, potest debitor contra creditorem, doli mali exceptione se tueri, quantum aliquando interpellatus non solverit, *l. Qui Deum; 32. ff. de solut. dummodò pecuniam, vel aliam rem mutuam, opportuno tempore & loco, etiam nudè & citra consignationem, vel depositionem, debitor obtulerit, Gothofr. ibid. lit. S.* Secus si tempore importuno, vel loco alieno obtulisset, tunc enim periculum non creditoris, sed debitoris erit, *l. Soluturus; 39. ff. Eodem.* ac proinde eadem species, v. g. frumenti vel vini, quoad quantitatem & qualitatem, cum ea, quæ mutuo accepta est, reddi debet, sive valor aut æstimatio extrinsecus imposita decreverit, sive aucta fuerit, quia idem frumentum vel vinum est, quando plus, & quando minus valet, *Bar. in l. 3. n. 16. ff. de reb. credit. Zasius ff. eod. n. 25. Laym. l. 3. tr. 4. c. 15. n. 1.* At verò in pecunia reddenda

denda est eadem quantitas, secundum valorem seu estimationem extrinsecus impositam, quæ fuit tempore contractus, & numerationis, sive valor extrinsecus pecuniæ postea auctus fuerit, sive decreverit; quia illa quantitas mutuo data est, non corpora, nisi aliter sit conventum, vel nisi, ob moram debitoris, creditor damnum pateretur, l. *Quod te* §. 5. ff. de reb. cred. Zaf. ff. eod. n. 24.

§. II.

An Ecclesia, vel Prælati, eius nomine, possit mutuum dare, & an ac quomodo Ecclesia, vel Monasterium obligetur ex mutuo ipsi dato?

VII. Assertio 1. Si Ecclesia, vel ejus Prælati habeat redditus Ecclesiasticos abundantes, non prohibetur mutuum dare indigentibus pecuniâ, modo fors, sive summa capitalis assecuretur per pignora, vel fidejussores; quia hoc est opus pietatis & misericordiae, & Ecclesia ex eo non gravatur, ut docet Io. Andr. in c. 2. n. 2. h. t. & Abb. ibid. n. ult. Laym. in dis. de rer. Eccles. alienat. Thes. 102. alioquin verò si proximi necessitas non urgeat, ad bonam administrationem Prælati pertinet, ut res Ecclesiæ augeat, adeoque ut superfluos redditus vendat, pecunias ad emendum expendat &c. sicut hoc ipsum Tutores & Curatores minorum facere jubentur, ut patet ex l. Ita autem; §. in princ. & l. Tutor qui; 7. §. Si post, ff. de administ. & peric. Tut. & l. Tutores; 24. C. Eodem. Laym. c. 1.

VIII. Erhinc in c. Si quorundam; 2. h. t. Gregorius IX. prohibet universis Ecclesiis Prælati, ne quis eorum Ecclesiam sibi commissam præsumat gravare pro alienis debitis, sive aliena debita, nomine Ecclesiæ, suscipiendo, (mutuum accipiendo, vel alii dando, vel pro alio fidejubendo, Gl. hic V. Gravare) aut litteras vel sigilla tradendo, alicui (id est, litteras sigillatas, per quas concedunt Prælati, ut quis possit pecuniam mutuo accipere; nomine suo, & Ecclesiæ suæ, Gl. hic V. Litteras) quibus Ecclesia obligari possit. Quod si hoc attentatum fuerit à Prælati, Ecclesiæ ad solutionem talium debitorum non teneantur: adeoque obligatio est irrita (nisi quatenus versum est in utilitatem Ecclesiæ, Gl. hic V. Non teneri.) Et is, qui contra prohibitionem hanc facere præsumperit, ab administratione spiritualium & temporalium est suspensus, (ipso jure, & insuper Ecclesiam ipsam reddere debet indemnem, si in aliquo gravata sit, Gl. hic V. Suspensum.)

IX. Porro hæc Constitutio, quatenus infert penam, seu censuram, non comprehendit Episcopos, juxta c. Periculum; 4. de sentent. excomm. in c. & Gl. margin. in cit. c. 2. h. t. & docet Suar. dis. 31. de censur. Sec. 3. n. 2. potest tamen Episcopus, vel alius similem jurisdictionem habens ab ista suspensione absolvere; cum non sit reservata, & in perpetuum lata, sed indefinitè seu sine definitione certi temporis, & si auctor hujus suspensionis, videlicet Papa eam voluisse esse perpetuam, & irremissibilem, id expressisset, sicut alias so-

pe solet; Suar. c. l. & Laym. l. 1. tr. 5. c. 4. n. 3. Verumtamen non debet Episcopus dispensare in hac suspensione, nisi prius Ecclesiæ fuerit satisfactum, juxta c. Cum olim; 24. de V. S. Suar. c. l.

X. Assertio 2. Si Prælati, nomine Ecclesiæ, pecunias mutuas accipiat: & in eo potestatis suæ limites excedat, tunc Ecclesia non obligatur plus solvere, quam quantum inde in Ecclesiæ utilitatem versum fuisse, creditor seu mutuator probaverit, prout habetur in Auth. hoc jus porrectum in fine C. De SS. Eccles. & refertur in c. 2. caus. 10. q. 2. sed quoad ea, quæ non constiterint in Ecclesiæ utilitatem esse conversa, obligatus est Prælati, qui Ecclesiæ nomine mutuum accepit, contra quem, ejusque heredes creditor agere potest, ut ex communi Dd. sententia docet Molin. tr. 2. dis. 300. n. 2. post Covarr. l. 2. resol. c. 17. n. 2.

XI. Porro tunc Prælati excedere potestatem suam censetur, si ita mutuo accipiat, ut res Ecclesiæ immobiles, aut mobiles pretiosas, quæ servari possunt, ac debent, alienare, vel pignori obligare sit necesse ad debiti solutionem; cum enim talis res à Prælati & Capitulo alienari non possit directè, sine evidenti Ecclesiæ utilitate, aut necessitate, ut patet ex dictis supra Tit. 13. consequenter neque indirectè, occasione accepti mutui, alienari possunt similia bona, ut inde mutuum solvatur, etiam si intervenierit consensus Prælati, & Capituli simul: nisi constet mutuum in Ecclesiæ utilitatem esse acceptum, & expensum, alioquin enim alienatio horum bonorum fieret à Prælati & Capitulo, sine manifesta necessitate, aut utilitate Ecclesiæ, Abb. in c. pen. n. 4. de fidejuss. Mol. cit. loc. Secundò, excedit Prælati limites suæ potestatis, si quantitas pecuniæ mutuo acceptæ tanta sit, ut ex fructibus seu redditibus suæ mensæ, aut suæ administrationi commissis, solvi non possit: tum enim etiam probare debet mutuator, mutuum in utilitatem Ecclesiæ versum fuisse, Abb. in c. pen. n. 5. Laym. in cit. dis. Thes. 103. Tertiò, si Prælati mutuum accepit supra summam ipsi per statutum vel capitulationem definitam, supra quam Ecclesiam, vel mensam suam debitis gravare non possit, ut colligitur ex cit. c. pen. Barbos. in Collect. ibid. n. 12. Laym. c. l.

Aliud verò, quoad hoc est dicendum de Administratione Civitatis, nam si is cum consensu, aut ex mandato Civitatis, vel Consilii seu Senatûs civici, mutuum accipiat, mutuans non tenetur probare, id conversum esse in Civitatis utilitatem, licet ad id necesse foret, alienare bona immobilia civitatis; quia Civitas illa alienare potest, etiam sine evidente ejus utilitate, aliâque solennitate, ut docet Barr. in l. Civitas; 27. n. 2. ff. de reb. cred. Quod civitas, circa alienationem rerum suarum statuere potest, sicut vult, Abb. in cit. c. pen. n. 5. Mol. c. l. n. 5. quia Civitas liberam facultatem habet distrahendi bona sua.

XII. Assertio 3. Si Prælati, nomine Ecclesiæ, pecunias mutuas accipiat, secundum limites facultatis, seu administrationis suæ, quia nimirum, vel cum consensu Capituli, tantam summam mutuo accepit, ad cuius solutionem sufficiunt redditus, & alia bona mobilia non pretiosa Ecclesiæ: vel si Prælati solus, etiam sine Capituli consensu, quando is non requiritur, mutuo accepit: hoc casu, obligatur Ecclesia, etiam si à mutuatore probatum non fuerit, pecunias reipsa versas fuisse in utilitatem Ecclesiæ: sed satis est, si creditor sed mutu-

tuator

tuator ostenderit, ex voluntate Prælati, & Capituli, pecunias illas mutuo acceptas fuisse pro Ecclesia, seu ob utilitatem, vel necessitatem ejusdem: idque procedit, siue Prælatus, qui mutuum accepit, adhuc superstes sit, siue jam decesserit, ut docet *Abb. in c. 1. n. 2. h. t. & cit. c. pen. n. 5. & 6. de fidejuss. Mol. cit. diff. n. 5. Laym. in cit. diff. n. 104.* Ratio est, quia Prælatus vel solus, vel in quibusdam casibus, unâ cum Capitulo, liberam administrationem bonorum mobilium non pretiosarum habet, adeoque etiam facultatem accipiendi mutuum ob necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ, & eandem obligandi: ergo satis erit, si hoc ipsum ostendatur, exhibendo v. g. Instrumentum Authenticum, in quo hoc scriptum contineatur, nempe pro hac, vel illa necessitate Ecclesiæ, pecunias mutuas fuisse acceptas, vel alias conjecturas afferendo, ex quibus id probabiliter colligi possit, videlicet quod Ecclesia eo tempore, pecuniis indiguerit, vel circa id tempus novum ædificium extructum fuerit, vel prædium Ecclesiæ emptum &c. juxta ea, quæ tradit *Menoch. de arbitr. jud. casu 432. n. 33. & seqq.*

XIII. Idque probatur etiam ex *c. 1. h. t.* Ubi ad hoc, ut Successor Prælatus teneatur debita Antecessoris solvere, solum exigitur, ut pro necessitate Ecclesiæ contracta fuerint: ergo satis est probare, quod propter imminens aliquam necessitatem Ecclesiæ, pecuniæ sint mutuo acceptæ, licet non probetur, ad eam ipsam necessitatem illas expensas esse; talis enim probatio difficilis foret, adeoque non facile invenirentur, qui Ecclesiis, earumque Prælatibus, in casu necessitatis mutuum dare vellent, id quod in Ecclesiarum detrimentum redundaret, *Abb. in cit. c. pen. n. 7. de fidejuss.* in quo dicitur: Si Religiosus, sine licentia sui Abbatis, & majoris partis Capituli, pecuniam mutuam ab aliquo accipiat ultra summam, communi providentiâ, constitutam, Monasterium non obligari, nisi constet in utilitatem ejusdem versam fuisse, tunc enim agitur actio de in rem verso, ut ait *Gl. ibid. V. In utilitatem*: Ex quo per sensum contrarium inferitur, si Religiosus, cum requisita licentiâ Prælati, & Conventus, vel etiam solius Prælati, quando is talem licentiam dare potest, pecuniam mutuam accepit, mutuator non cogatur probare, eam in utilitatem ejusdem Ecclesiæ, vel Monasterii versam fuisse, ut norat etiam *Gl. ibid. V. In utilitatem*. Ergo multo magis idem dicendum erit, si Prælatus, cum consensu Capituli, vel etiam solus, in casibus, in quibus id ei concessum est, mutuam pecuniam acceperit; cum ipsi plena & libera fructuum administratio sit concessa, *Abb. c. l. n. 5. Molin. cit. diff. n. 8. contra Covarr. loc. cit.*

Non obstat *Auth. hoc jus porrectum in fine C. de SS. Eccles.* Nam in illa continetur casus specialis, quando res Ecclesiæ immobilis data est in solum creditori, cum neque res mobiles ad dissolvendum debitum adessent: neque alius emptor reperiretur, hoc enim casu, creditor probare debet, pecuniam, quam credidit, in Ecclesiæ utilitatem versam fuisse; quia talis alienatio rei immobilis invalida est, nisi constet cum Ecclesiæ utilitate illam factam esse, *Gl. fm. ibid.* Alii explicant dictam *Auth.* quod loquatur de eo casu, quo ad solutionem debiti necesse est, alienare bona Ecclesiæ immobilia, vel mobilia pretiosa: non autem quando sufficiunt redditus, & alia bona mobilia, *Abb. in cit. c. pen. n. 7. de fidejuss. Molin. cit. loc. n. 8.*

Aliud est si Administrator Civitatis mutuum accepit ejus nomine, sine mandato vel consensu Civitatis, tunc enim non satis est, si mutuator probet se mutuum accepisse ad sublevandam necessitatem Civitatis: sed opus est, ut probet mutuum in utilitatem Civitatis versum fuisse: l. *Civitas*; 27. ff. *De reb. cred. junct. l. 1. C. de solut. & liber. debiti. Civit.* Nam hinc ratio est, quia Administrator non habet ita generalem & liberam ac independentem à Civitate, vel ejus Senatu, administrationem pecuniarum, & aliarum rerum mobilium non pretiosarum, sicut habet Prælatus Ecclesiæ, qui etiam sine consensu Capituli, in pluribus casibus, mutuum accipere potest, & ideo ipsi vel ejus creditori non debet imponi onus probandi mutuum versum fuisse in utilitatem Ecclesiæ, *Abb. in cit. c. pen. n. 6. Mol. cit. loc.*

XIV. Cæterum quando supra dictum est, si ad solutionem mutui necessarium sit bona immobilia, aut mobilia pretiosa vendere, aut in solum dare, tunc creditor debeat probare pecunias in utilitatem Ecclesiæ fuisse versas: Id indubitatè verum est, si tempore accepti mutui, jam apparebat, non posse eam pecuniæ mutuo acceptæ quantitatem solvi sine alienatione talium bonorum, ut constat ex *cit. Auth. hoc jus porrectum*, etiam si Prælatus & Capitulum simul mutuum illud acceperint, ut docet *Abb. in cit. c. pen. n. 4. de fidejuss.* quia non sufficit, si Prælatus & Capitulum hoc ipsum fateantur, cum juxta regulam communiter receptam, confessio partis non sufficiat in causa, quo agitur de jure, cui ipsa renunciare, seu præjudicare non potest, *Laym. in cit. diff. Canon. Theol. 105.* Quod si verò tempore accepti mutui nondum apparebat, solutionem non posse fieri, sine alienatione bonorum immobilium Ecclesiæ, vel mobilium rerum pretiosarum: hoc casu, si Prælatus & Capitulum expressè, vel tacitè profiteantur, se pro utilitate Ecclesiæ pecunias mutuas accipere, cum talem facultatem jure concessam habeant, satis erit, si creditor id ipsum ostendat, neque necessarium erit demonstrare, quod pecuniæ in utilitatem Ecclesiæ versæ fuerint: etiam postea appareat, necessarium esse, ad dissolvendum debitum mutuo acceptum, rem Ecclesiæ immobilem vendere, aut in solum dare, ut ex *Georgio Everhardo Tom. 1. caus. 36. n. 11. tradit Laym. cit. Theol. 105.* Ratio est, quia talis alienatio non ad debiti obligationem, quæ ab initio tenuisse præsumitur: sed potius ad executionis eventum spectat, quæ in tali casu necessaria est, & jure permilla, *juxta cit. Auth. hoc jus porrectum in princ.*

XV. Assertio 4. Si mutuum, nomine Ecclesiæ, acceptum sit ab aliquo particulari de Ecclesia, v. g. Canonico, vel Monacho, tunc vel definita est illi certa quantitas, seu summa, quam possit mutuo accipere, vel non. Priore casu, vel intra definitam summam is mutuum accepit, & tenetur Ecclesia id solvere, licet non ostendatur in ejusdem utilitatem conversum esse, ut aperte colligitur ex *cit. c. pen. de fidejuss.* quia ipsi Ecclesiæ censetur esse mutuo datum, modò ad solutionem debiti, non sit necesse alienare bona immobilia Ecclesiæ, vel mobilia pretiosa, juxta supra dicta. Vel summam constitutam excessit mutuatarius, & Ecclesia non tenetur quoad excessum, nisi quatenus constiterit id in ipsius utilitatem esse conversum, adeoque creditori onus probandi incumbit conversionem esse

§. III.

An Successor in Pralatura, aut Beneficio teneatur solvere debita ab Antecessore suo contracta?

XVII. Assertio 1. Successor tenetur ex bonis, & redditibus Ecclesiae solvere debita, quae ab antecessore facta fuerunt pro Ecclesiae necessitate, vel utilitate, prout rescriptit Papa Alexander III. in c. *Ad hoc*; 1. h. t. ubi ait: sicut filius (si sit etiam haeres, n. Gl. hic V. *Filius*); debita patris solvere tenetur; ita n. Praelatus sui praedecessoris pro Ecclesiae necessitate contracta, vel etiam pro ejusdem utilitate, ut addit, *Barbos. in Collect. hic in summa*; & alij. Ratio est, quia successor Praelatus, vel alius Rector Ecclesiae, est quasi haeres sui antecessoris, cui in Pralatura, vel Beneficio succedit, Gl. hic V. *Praedecessoris*: Sicut ergo haeres succedit in universum jus defuncti, tam quoad iura, & commoda: quam quoad onera, & debita, seu obligationes, l. *Hereditas*; 62. ff. de R. I. ita & Praelatus, seu Rector Ecclesiae succedit in universum Jus Ecclesiae, c. *Relatum*; 12. de testam. ideoque etiam debita, quae is pro Ecclesia, seu in commodum ejusdem contraxit, solvere tenetur. Est tamen discrimen inter filium, seu alium heredem, & Praelatum successorem, quia haeres accipit, siue consequitur Jus successionis à defuncto, ideoque obligatur ad omnia debita defuncti solvenda, saltem secundum vires hereditatis; c. 1. de testam. si inventarium fecit, l. ult. C. De iure deliberat. Gl. hic V. *Debita*. At verò Praelatus, & quilibet Beneficiarius Jus successionis consequitur, non à defuncto antecessore, sed à Superiore, qui illum in Pralatura, vel Beneficio instituit, ideoque non tenetur ad omnia debita antecessoris solvenda, sed ad ea tantum, quae is nomine Ecclesiae, siue pro necessitate, aut utilitate ejusdem contraxit, ut colligitur ex cit. c. 1. h. t. per sensum contrarium, Gl. fin. ibid. & Abb. num. 1.

XVIII. Assertio 2. Successor solvere debet non tantum illa debita, quae ob necessitatem, aut utilitatem Ecclesiae, sed etiam quae pro necessaria, ac decente sustentatione personae sui antecessoris sunt contracta, ea enim ex redditibus Ecclesiasticis Pralaturae, vel Beneficii, in quo succedit, dissolvi debent, quia pro necessitate Ecclesiae videntur contracta, cum Ecclesia teneatur Praelatum, vel Rectorem suum alere, & sustentare, etiam si is bona patrimonialia habeat, Abb. in cit. c. 1. num. 2. h. t. ubi addit, quod successor tenetur solvere etiam debita, quae antecessor in infirmitate contraxit, ex qua decessit, *Barbos. in cit. c. 1. num. 3. Laym. in cit. dif. de alien. rer. Eccles. Thes. 107.*

XIX. Assertio 3. Si Praelatus, Rector Ecclesiae, vel alius Beneficiarius defunctus nullos Ecclesiasticos redditus reliquit, tum distinctione opus est. Vel enim habuit sufficientes redditus ab Ecclesia ipsi assignatos, vel non. Si prius, tum debita ab ipso etiam propter necessitatem, v. g. infirmitatem contracta, ex patrimonialibus ejus bonis solvi debent, arg. c. *Ex praesentium*; 3. de pignorib. Si posterius, quia scilicet suffi-

esse factam. Idemque dicendum posteriore casu, si nulla certa summa sit decreta, ad mutuum accipiendum, *Molin. cit. dif. 300. n. 9.*

XVI. Notandum hic praeerea primò. In proposito id dicitur conversum in Ecclesiae utilitatem, quod in eam causam expensum est, in quam Ecclesia de suis bonis tantundem insumptura fuisset, arg. l. *In pupillo*; 47. §. *Planè*; ff. de solut. sed et si Administrator Ecclesiae sumptus, quos Ecclesia factura non fuisset, prudenter, & rationabiliter fecit ex mutuo accepto, Ecclesia ad totum solvendum tenetur, licet eventus non fuerit secutus, siue sumptus ob inopinatum eventum, non cesserint in commodum Ecclesiae; quia v. g. res, in quam expensae factae sunt, casu perierit, ut aperte colligitur ex l. *Sed an ultra*; 10. §. *Is autem*; ff. de negot. gest. Idque praesertim verum est, si is, qui sumptus tales fecit, facultatem habuit mutui accipiendi, sed non limitatam. Si verò quod mutuum acceptum est, irrationabiliter, & imprudenter fuit expensum, v. g. in pompas, vel in pituitas superfluas, tunc solum obligatur Ecclesia solvere, quantum inde locupletior facta est. Quod si plus utilitatis Ecclesia inde percepit, quam fuerit summa mutui accepta, non plus tamen tenetur solvere, quam quantum mutui accepit, Abb. in cit. c. pen. num. 8. & 9. de fidejuss. *Molin. cit. dif. num. 10* Idemque quoad hoc dicendum de Civitate.

Notandum secundò. Hoc specialiter statutum est in mutuo dato Ecclesiae, quod mutuatur probare debeat, mutuum in utilitatem ejus versum esse; non verò in alijs contractibus cum Ecclesia initis, ut si v. g. aliquis vendat rem Ecclesiae, vel ab illa emat, non tenetur probare rem venditam, vel pretium solum in ejus utilitatem versum esse, quia id jure cautum non reperitur. Ratio specialis hujus dispositionis in mutuo est, quia Praelati, & Administratores bonorum Ecclesiasticorum solent faciles, & proni esse ad mutuum accipiendum, & seneratores ad illud dandum, ideoque ne inde Ecclesia damnum pateretur in bonis suis, meritis statutum fuit, ne ex mutuo obligarentur, nisi à mutuanti probatum fuisset, illud versum fuisse in ejusdem utilitatem, Abb. in c. 1. n. 9. De deposito. *Molin. cit. dif. n. 11.* Limitant nonnulli in venditione facta pro solvendis debitis Ecclesiae, tunc enim emptor probare tenetur pretium ad solvenda debita cessisse, *Riccus in praxi alien. rer. Eccles. resolut. 2. num. 2.* & alij apud *Barbol. in cit. c. pen. n. 16 de fidejuss.* Excipiunt nonnulli etiam depositum, in quo volunt requiri, ut probetur conversio in utilitatem Ecclesiae, *Barbos. in cit. c. pen. num. 10.* sed oppositum dictum supra Tit. 16. n. 13.

Notandum tertio. Quando Ecclesia mero jure ex mutuo accepto obligatur, etiam si mutans non probet, pecuniam mutuam in ejus utilitatem versam fuisse, potest petere restitutionem in integrum, si probare velit, lesionem, siue pecunias in utilitatem suam non fuisse conversas, *Covarruv. cit. c. 17. n. 3. in fine*, & alij apud *Barbos. in cit. c. pen. n. 14. de fidejuss.*

cientes redditus Ecclesiasticos non habuit, tum iterum distinguendum est; vel enim, præter opinionem; & ob causam auctorariam id evenit, v. g. ob fructuum unius, aut plurium annorum sterilitatem, vel ob hostium incurfiones: & tunc successor in Beneficio obligandus erit, ut ex futuris redditibus Beneficij debita à defuncto contracta solvat, dummodò tale onus sustinere possit, ut tradit *Abb. in cit. c. 3. n. 5. sup. de pign. Parisl. 1. de resign. Benef. q. 16. n. 5. 1. vel Beneficiarius ab initio scivit tenuitatem reddituum, & nihilominus Beneficium acceptavit: hoc casu, quia ipsi imputari merito potest, quoddam tenue Beneficium acceptavisse ita ut suâ industriâ, vel ex patrimonio vivere debeat, ideo hæredes ex proprijs, seu patrimonialibus bonis defuncti debita ipsius dissolvere debent, *Abb. c. l. n. 6. & sumitur ex l. Si pro rez 10. junct. Gl. V. Cæpissè C. Mandat; Laym. cit. Thes. 107.**

XX. Assertio 4. Si Beneficiarius nec redditus Ecclesiasticos, nec bona patrimonialia reliquit, tunc expensas necessarias, v. g. factas in infirmitate, vel funeris causâ, Ecclesia, aut successor in Beneficio solvere debet, *arg. c. 1. h. t. & tradit Abb. in cit. c. 3. n. 5. de pignor.* Ratio est, quia quod pro necessitate personæ, videlicet Prælati, Rectoris, vel alterius Beneficarij expenditur, id pro ipsâ Ecclesia, vel Beneficio expensum esse, censendum est, propter unionem, quæ est inter Prælatum, & Ecclesiam, Rectorem, aut Beneficiarium, & Beneficium. Quare tale onus, siue obligatio realis cuilibet Beneficio imposita esse censeri debet, ita ut ad successorem in Beneficio transeat, dummodò is hoc onus ferre possit, aliqui enim ad Episcopatum spectat, aliunde providere, & subsidium adferre, *Laym. c. l.*

XXI. Illud hîc addendum, si Prælati, Rector Ecclesiæ, vel quivis alius Beneficiarius, qui debita contraxit propter sustentationem personæ suæ, non habeat alia bona patrimonialia, vel quasi patrimonialia, tunc redditus ejus Ecclesiastici in arresto ponuntur, & creditori assignantur, ut eos percipiat, donec debitum sit solutum, ut tradit *Abb. inc. 2. n. 3. c. num. 12. sup. de fidejuss. Laym. incit. dist. num. 106.* Et quidem hoc casu, Ecclesia indulget Clerico tantquam pauperi, ob honorem etiam Clericalis Ordinis, ut omnia ejus debita, sive adhuc vivat: sive post mortem illius, ex redditibus Ecclesiasticis solvantur. Si verò patrimonialia bona habeat, tum debita solvenda sunt ex redditibus Ecclesiasticis, secundum eam tantum quantitatem, quam competens, & decens ejus sustentatio requirit, reliquum verò debitorum ex bonis patrimonialibus solvendum est, ac proinde ea pars reddituum beneficalium quæ honestæ, ac decenti sustentationi Beneficiarij superest, reservari debet, ut ad pias causas applicetur, *Laym. c. l.*

§. IV.

*De Beneficio, seu privilegio compe-
tentia, quod datur Clericis de-
bitoribus, qui non sunt
solvendo.*

XXII. Quaritur I. Quale beneficium, five

privilegium competat Clericis, qui non sunt solvendo. Respond. Clericus, ob debita civilia, si ta propter inopiam solvere non possit, in totum, vel pro parte, non debet excommunicari: nec incarcerari, vel aliter molestari: sed neque ad satisfactionem bonorum compelli: neque conveniri potest creditoribus suis, nisi in quantum facere potest, deductis scilicet alimentis, ne egeat: dummodo idoneam cautionem præstet, quòd solvere velit, ita ad meliorem fortunam pervenerit. Ita Gl. Abb. & alij Canonistæ communiter, in c. Odoardus, h. t. Covarruv. lib. 2. resol. c. 1. num. 9. Menes. de arbitrar. Judic. casu 183. num. 29. & 30. Farus. p. 1. quæst. 27. num. 65. & seqq. Barbos. l. 1. jur. Ecclæs. c. 39. §. 6. Idque statutum habetur in c. 3. h. t. ubi Odoardus Clericus conventus fuit à creditoribus suis super quibusdam debitis pecuniarijs coram Officiali, seu Vicario Archiepiscopi Rhemensis: is verò debitum confessus, dixit propter inopiam se solvere non posse: nihilominus tamen seum Officialis excommunicavit. Hac re delatà ad Papam Gregorium IX. Is mandavit certis à se delegatis, ut si constituerit, quòd prædictus Odoardus, sive in totum, sive ex parte, non possit debita solvere, ut sententiam excommunicationis, sine difficultate relaxent, receptà priùs ab eò idonea cautione, ut si ad pinguiorem fortunam devenierit, debita illa persolvat. Ratio hujus decisionis est, quia inanis est actio, quam inopia debitoris excludit. Nam is; 6. ff. De dolo, & c. Olim. 16. de reposit. speculat. & qui nihil habet, nihil dare potest, Gl. h. V. Valentem.

XXIII. Pro declaratione hujus c. notandum
primò. Clericus propter debitum civile, si con-
maciter recuset solvere, potest excommunicari,
et si non debeat propterea in carcerem detru-
ci, notat *Abb. in cir. c. Odoardus n. 2. & 3. Quamvis*
hodie juxta Concil. Tridentinum *Sess. 25. cap. 1.*
de refor. debitores debeant primò in carcerem co-
ijci, & in subsidium excommunicari; quia non po-
test hodie recurri ad remedium censurarum, nisi
ubi executio realis, vel personalis fieri non potest.
Fagnan. hic n. 4.

Notandum secundò. Sententia excommuni-
cationis lata contra debitorem, qui notorie non est sol-
vendo, est ipso jure nulla, etiam in foro externò.
excommunicari nemo potest, nisi ob inobedi-
entiam, & contumaciam, contumax autem in solutio-
ne esse non potest debitor, qui solvere non potest, in
impossibilium nulla sit obligatio. *Reg. 18. in f. s. c.*
cuius est, si de inopia evidenter non confiteri, tunc co-
nim sententia tenet, propter dubium: sed veritate
comperitâ, relaxari debet, ut in casu cit. c. *Ordaz.*
ubi non plene constitit Officiali, an allegatio inopia
vera sit, nec ne, *Gl. ibid. V. Non valentem. & de h.*
n. 9. Fagnan. n. 11.

Notandum tertio. Quod supra dictum est. Clericum ob debitum civile non posse incurs-
rari: id limitari debet, nisi dolose egerit & au-
ditorem deceptor, quia v. g. finxit se esse la-
icum: vel quia abscondit bona sua, ne ex his fol-
veretur debitum: vel quia coram Iudice falso
negavit debitum; tunc enim detrudi potest

in carcerem, non præcisè propter debitum civile, sed propter dolum, & crimen, commillum, ut tradit *Molin. tr. 2. de iustit. dis. 571. n. 11.*

Deinde limitatur, nisi Clericus debitor suspectus sit de fuga; tunc enim auctoritate Judicis Ecclesiastici, per ministros laicos capi potest, & in carcerem conijci, donec integrum debitum solvat, vel de eo solvendo sufficientem, & idoneam cautionem præstet: Imò etiam ab ipso creditore, per se, vel per alium capi potest debitor Clericus, si in actuali fuga sit, & captus deduci debet ad suum Judicem, *Covarr. cit. c. 1. n. 9. Molin. cit. dis. num. 22. Barbof. in cit. c. 3. nu. 10.*

XXIV. Notandù quartò. Clericus debitor, qui solvendo non est, non potest cogi ad cessionem bonorum, ut evitet carcerem, prout colligitur ex *cit. c. Odoardus*; nam si Clericus ille cessisset bonis, non fuisset excommunicandus, & Papa de hoc mentionem fecisset, nec mādasset, ut prius reciperetur ab eo cautio de solvendo, sed ut cederet bonis, *Abb. ibid. n. 8.* aliàs verò spectato jure communi, si debitor sit in mora solvendi, postquam confessus est debitum, extra judicium, vel in judicio, vel à Judice condemnatus est ad solvendum per sententiam, quæ transijt in rem judicatam; potest fieri executio in bonis illius, *l. pen. & ult. ff. de cessione bonor.* Quod si ex ijs integra solutio debiti obtineri non possit, creditore petente, in carcerem conijci potest, nisi bonis cedere velit debitor, juxta *l. 1. C. qui bon. ced. post. cessione verò facta*, debitori auferuntur omnia ejus bona, & jura ad quæcunque debita, vel bona competentia, eaque creditoribus addicuntur, & traduntur, præter vires vestes, quibus se contegat: & tunc liberatur à carcere, & interim dum non efficitur solvendo molestari à creditoribus non possit: etiam si bona, quibus cessit, non sufficiant ad solutionem debitorum, *l. Is qui; 4. §. Sabinus ff. de test. bon. & l. 1. C. qui bon. ced. post. Molin. dis. 572. num. 1. 6. & 9.* manet tamen obligatus debitor, ut si ad pinguiorem fortunam postea devenierit, reliquum solvete debeat, sed non nisi quatenus commodè facere potest, habita ratione, ne egeat, *cit. l. Is qui; 4. in princ. & l. Qui bonis; 6. ff. de test. bon.* idque locum habet etiam in foro conscientie, *Molin. c. l. num. 9.* Verùm Clericus, etiam si solvendo non sit, sive in totum, sive ex parte, non tamen compelli potest ad cessionem bonorum, siquidem etiam si bonis non cedat, in carcerem conijci non potest ob debita civilia, juxta *cit. c. Odoardus*: & insuper Clericus eo gaudet privilegio, ut postquam condemnatus est ad solvendum per sententiam, vel postquam debitum confessus est, si in mora solvendi existat, executio quidem fieri possit in redditibus, ac bonis ejus, ita ut assignentur ea creditoribus, donec debito sit satisfactum; non tamen potest privari omnibus bonis suis; sed relinqui ei debet portio, ex qua se honestè sustentare valeat, ne egeat, vel cum probro Ordinis Clericalis mendicare cogatur, ut colligitur ex *c. 2. De fidejuss. & ex communi tradit, Abb. in cit. c. Odoardus num. 8. & Molin. cit. dis. 571. nu. 19.* nam si miles secularis, qui in expeditione bellica versatur, hoc privilegium habet, ut non teneatur cedere bo-

nis, neque creditoribus plus solvere cogatur, quam quantum facere potest, ne egeat, *l. Miles; 6. in princ. ff. de re judic.* adeo ut illud privilegium etiam concessum sit quasi militibus, videlicet advocatis, & patronis causarum: multò magis idem privilegium concessum erit militibus sacris, seu militiae celestis; hoc est, Clericis, & tradit *Gl. in cit. l. 6. V. Facere potest, & Barrol. ibid.* præsertim cum hoc beneficium multis alijs personis privilegiatis competat, ut parentibus, patronis, eorumque libertis, marito, uxori, socero, socio bonorum, vel negotiationis alicujus &c. ut conveniri non possint, nisi quatenus commodè solvere possunt, deductis alimentis, *l. Sunt qui; 16. & seqq. ff. de re judic. consentit Reg. jur. 173; in ff. In condemnatione personarum, quæ in id, quod facere possunt, condemnantur, non totum, quod habent, extorquendum est, sed & ipsarum ratio habenda est, ne egeant: esset enim inhumanum spoliatum fortunæ suis in solidum damnari, ut dicitur in §. ult. Instit. de action.*

Porro Clericus, cui semel concessum est beneficium hoc *cit. c. Odoardus*: & postea factus locupletior, si rursus in paupertatem incidat, iterum frui potest hoc beneficio, sicut etiam cessio bonorum reiterari potest, *Barbof. l. 1. Jur. Eccles. c. 39; §. 6. n. 13. Fagnan. in cit. c. 3. n. 84. h. t.*

XXV. Quæritur secundò. Quanam requirantur, ut Clericus debitor fruatur beneficio hujus *c. Odoardus*. Resp. Inprimis requiritur, ut sit Clericus; nam hoc beneficium competit solis Clericis, qui in Sacris constituti, vel etiam in minoribus Ordinibus, aut saltem primâ tonsurâ initiati sunt, dummodò incedant in habitum Clericali, cum tonsuræ, & alicui Ecclesiæ de mandato Episcopi inferantur, vel in studijs versentur, prout requirit Concil. Trident. Sess. 23. c. 6. de reform. & docet *Covarr. cit. c. 1. n. 9. Molin. cit. dis. 571. num. 20. Menoch. c. l. num. 30. in fine.* Aliqui tamen Dd. quos sequitur *Fagnan. in cit. c. Odoardus num. 24. & 25. h. t.* probabilius tenent, quod Clericus in minoribus constitutus, vel habens primam tonsuram, modo non abjecto Clericali habitu, se publicè pro Laico gerat, gaudeat hoc beneficio competentia, licet nec beneficium Ecclesiasticum habeat, nec Ecclesiæ alicui inferviat; quia Concilium Tridentinum c. l. ademit solum Clericis non habentibus requisita ibi præscripta, privilegium fori, non item cetera privilegia, ut Canonis, exemptionis à vectigalibus, & similia: ut sapius declaravit S. Congregatio Concilij, teste eodem. Unde licet hujusmodi Clerici possint conveniri coram Judice Laico, & ab eodem puniri: possunt tamen etiam puniri ab Episcopo, & est locus præventioni, *Fagnan. c. l. De Clericis verò conjugatis omnes conveniunt, quod licet gaudeant privilegio fori, & Canonis, si cum unica virgine contraxerunt, & habitum, ac tonsuram Clericalem gerant: tamen etiam ante Concilium Tridentinum non gaudebant cæteris privilegijs Clericalibus, ut constat ex c. unic. de Clericor. Conjug. in 6. & consequenter neque privilegio dicti c. Odoardus, Molin. c. l. & Fagnan. num. 13.*

Secundò. Requiritur, ut debitor propter inopiam solvere nequeat, sive in totum, sive pro parte, ut patet ex *cit. c. Odoardus*. Et hinc licet alias regulariter, si debitum sit liquidum, non admittatur solutio particularis, creditore invito, *l. Quidam; 21. junct. Gl. V. Ad accipiendum; ff. de reb. cred.* Si tamen debitor ad totum solvendum sit impotens, cogitur creditor partem, quam potest solvere, recipere, *Imol hic n. 11. & Fagnan. n. 29.* Veruntamen, si creditor pauperior esset ipso debitore Clerico, tunc non posset hic uti privilegio; *cit. c. Odoardus* contra illum, *Barb. in Collecta, hic n. 7. & Fagn. n. 30.* quia privilegiatus non utitur privilegio contra privilegiatum, *l. Verum; 11. §. Item queritur; ff. de minor. Excipe*, nisi creditor pauperior, non ex onerosa, sed ex lucrativa tantum causa esset creditor, v. g. ex donatione, *Barbos. cit. c. 39. §. 6. num. 30.*

Tertiò. Requiritur, ut de inopia, ob quam debitor non est solvendo, constet, ut patet ex *cit. c. 3. ibi: Si constiterit*, ideòque illum probare tenetur, saltem summarie, & presumptivè ex fama, vel communi hominum estimatione, aut reddituum suorum tenuitate, *Barbos. hic nu. 3. & Fagn. n. 31.*

XXVI. Quartò requiritur, secundum aliquos *dd.* ut debitor Clericus non sit ad inopiam, & impotentiam solvendi redactus, proprià culpà, nam si prohibitis ludis, vel luxuriose vivendo dissipavit bona, ac redditus suos, non fructur hoc beneficio competentie, *Barb. in cit. c. 3. n. 21.* Contrarium tamen, quòd nihilominus uti possit hoc beneficio, videtur tenere *Hosienf. hic V. Debitis; & Ioan. Andr. n. 1. Fagnan. n. 43.* Et simile est in Clerico, qui proprià culpà incidit in morbum, cui non propterea subtrahuntur emolumenta Clericis inservientibus divinis debita. Veruntamen si Clericus debitor non sit solvendo ob dolum commissum, non gaudet hoc beneficio, ut si debita contraxit, ipse fruendi hoc beneficio, vel bona dissipavit in fraudem creditorum, vel alienavit, pendente lite super debito principalis, *Barb. in cit. c. 3. n. 17. & 18. Fagn. ibid. n. 44. & 2. seqq.*

Quintò requiritur. Ut Clericus conveniatur ratione debiti in causa civili, prout sumitur ex *cit. c. Odoardus ibi: super quibusdam debitis*, sive quadam quantitate pecuniæ, *Gl. ibid. In casu*: Secus est, si sit debitum ex delicto, tunc enim capi, & incarcerationi potest, nec frui potest hoc beneficio, *Barb. hic n. 15. Fagnan. n. 47.* Quare axioma illud, *Qui non habet in ære, luat in corpore, l. Si quis; 7. §. In servos; ff. de jurisd. l. fin ff. de in jus vocand.* locum non habet in obligationibus, quæ ex contractu nascuntur: sed quæ ex delicto descendunt, sive delictum sit publicum, sive privatum, in quo pœna pecuniaria, quæ de jure infligenda foret, in corporalem commutatur, propter inopiam Rei, *l. 1. §. fin ff. de pœnis, c. Finem; §. De dolo, & contrum. ne delicta maneant impunita, Henric. Canis. in cit. c. Odoardus; n. 7. b. r.* Ubi tamen distinguendum est, vel enim convenitur debitor, qui non est solvendo, civiliter ad præstandum interesse: & non potest pœna pecuniaria commutari in corporalem, sed differri debet executio, donec debitor ad pinguiorem fortunam pervenerit, *cit. c. Odoardus, & c. Olim; 16. de restit. spol.* Vel ex delicto agitur criminaliter contra debitorem ad pœnam: & tunc vel pœna illa applicanda est parti, sive actori, ut in

furto, & non potest pœna pecuniaria commutari in corporalem, nisi actore consentiente, *arg. c. Fratres nuntis; 11. causi. 12. q. 2.* quia actoris tantum interest, qui fortasse mavult expectare, donec reus sit solvendo. Vel agitur ex delicto, ad pœnam applicandam fisco, & tunc potest pœna pecuniaria converti in corporalem, etiam accusatore invito; quia agitur tantum causa fisci, *Abb. in cit. c. Odoardus; num. 1. post Hosienf. & Ioan. Andr. ibid.* Porro postquam pœna pecuniaria semel in corporalem est commutata, ipso jure liberatur reus ab obligatione solvendi pœnam pecuniariam, etiamsi postea ditior fiat, cum corporalis pœna successerit in locum pecuniariae, *l. Sed si; 17. ff. de injurijs c. 1. causi. 14. q. 6. Causi. in cit. c. Odoardus n. 9. Fagn. ibid. n. 51.*

XXVII. Sextò requiritur, ut Clericus conveniatur actione personalis; nam conventus actione reali, non potest uti hoc beneficio, quod personale est, *Barb. hic n. 20. Fagn. nu. 52.* Similiter si conveniatur ratione depositi Clericus, quod penes se habet, non potest opponere hoc privilegium, *Barb. in cit. c. 3. n. 13. Fagnan. hic n. 54.*

Septimò. Requiritur, ut recognoscat debitum, id est, confiteatur, ut patet ex *cit. c. Odoardus, jura Gl. V. recognoscentem*, nam si Clericus debitor cedat bonis, priusquam debitum confiteatur extra Judicium, vel in judicio, vel ad solvendum condemnetur, non debet audiri, *l. pen. ff. de cess. bon. & ibi Gothofr. lit. Z. Gl. cit.* Ratio est, quia cum cedendo bonis non extinguatur obligatio: sed tantum exatio differatur, si ante cessionem non constet de debito, posset creditor perire copia probationis propter mortem, vel absentiam testium, ita, ut cum debitor factus esset solvendo, debitum probari non posset, ideòque ante cessionem de debito constare debet, *Abb. in cit. c. Odoardus num. 7.* multo magis verò Clericus debitor non gaudet hoc privilegio, si debitum pertinaciter neget, & postea de illo legitime fuerit convictus, *Barb. c. l. n. 11. Fagn. hic n. 57.*

Octavo requiritur. Ut Clericus debitor, qui solvendo non esset, præstet cautionem idoneam de solvendo, si ad pinguiorem fortunam deveniret, ut patet ex *cit. c. Odoardus*: cum enim inopia, & impotentia solvendi non extinguat substantiam obligationis: sed suspendat tantum illius effectum, in tempore melioris fortunæ, & ita civilis, & naturalis obligatio maneat, licet inefficax, durante inopia, *l. 1. c. qui bon. cess. poss. idem cessante inopia, solvere debet, in quantum facere potest, l. Is qui; 4. ff. de cess. bon.* sufficit autem præstare cautionem juratoriam, jurando se soluturum, si ad pinguiorem fortunam pervenerit; quia communiter qui non est solvendo, aliam per pignora scilicet, vel fidejussores præstare non potest, *Gl. ibid. V. Idonea Hosienf. & Io. Andr. n. 7. arg. Per vestras; de donat. inter vir, & uxor.* Sunt & alii præterea casus excepti, in quibus hoc beneficium non competit Clerico debitori, qui legi possunt apud *Barb. in cit. c. 3. h. 1.*

XXVIII. Quartus tertiò. An Clericus possit dicto beneficio renunciare, ita ut quamvis in mora solvendi sit, non possit propter debita contrahi in carcerem, nec conveniri, ultra quam commodè solvere potest, non relicta ipsi congruâ sustentatione? Resp. primò. Verius est, non posse renunciare, ut ex

communione sententia docet Molin. cit. disput. 571. n. 25. Barb. in cit. c. Odoardus n. 24. Fagnan. ibid. n. 70. Ratio est, quia hoc privilegium non in favorem singulorum Clericorum; sed totius Ordinis Clericalis, concessum est, ne Clerici ob debita merè civilia indigne tractentur, aut cum opprobrio totius Cleri mendicare cogantur, quod fieret, si usque ad ultimum obligum, quem habent, & ultra necessariam, & competentem sustentationem solvere tenerentur: quamvis huic privilegio renunciari possit, si concedatur debitori, non ratione personæ privilegiatæ: sed ratione contractus, ut in actione pro socio, vel tutelar, l. Si convenerit; 26. ff. de re judic. Ioan. Andr. in cit. c. 3. n. 9. & Hostiens. ibid. in fine h. t. Et hæc procedunt in renunciatione expressa: at verò tacite, & ipso facto renunciare potest huic privilegio etiam Clericus debitor per actum contrarium, ut si pertinaciter neget debitum, vel nolit præstare cautionem de solvendo, cum ad pinguiorem fortunam pervenerit, tunc enim censetur tacite renunciare huic beneficio, eoque ex juris dispositione privatur, ut patet ex supra dictis: prout simile habetur in privilegio fori, cui etiam Clericus expressè renunciare non possit, c. Si diligenti; 12. de foro compet. potest tamen tacite per actum contrarium, incedendo in habitu laicali, sive non deferendo habitum, & tonsuram, vel non inserviendo Ecclesiæ, secundum præscriptum Concilij Trident. Sess. 23. c. 6. Fagn. c. l. n. 71. & 72.

XXIX. Respondetur secundò. Verius etiam est, quòd talis renunciatio non valeat, etiam si facta sit à Clerico debitore, adjecto juramento, quia scilicet juravit, quòd non velit uti hoc beneficio contra creditores, vel quòd debitum solvere velit creditori, etiam si egeat: cum tale pactum sit contra bonos mores, ut expressè dicitur in l. Alia causa; 14. §. Eleganter ff. soluto matrim. est enim contra reverentiam, & decentiam debitam toti Ordini Clericali, & consequenter renunciari non potest huic beneficio, etiam accedente juramento, sicut nec privilegio fori, ut docet Covarr. lib. 7. resol. c. 1. n. 9. §. Quotus verò. & ex communi tradunt Canonistæ apud Fagn. in cit. c. Odoardus n. 74. & seqq. quicquid in contrarium dicit Molin. cit. disput. 571. num. 26. Idque confirmatur ex eo, quia juramentum intelligendum est iuxta promissionem, cui adijcitur, & quam confirmat, eiusque naturam, & condiciones sortitur, ut dictum Lib. 2. Tir. 24. n. 14. Si autem Clericus simpliciter, & sine juramento promittat, se soluturum totum debitum, etiam si egeat, non tenetur illud solvere, nisi quantum commodè facere potest, ut ex supra dictis patet, ergo neque cum juramento tenebitur.

§ V.

De solutione indebiti.

XXX. Præmittendum primò. Indebitum est quasi contractus re initus, quo is, qui rem indebitam per errorem solutam accepit, ad eandem reddendam obligatur, l. Is, qui; 5. §. Is quoque ff. de oblig. & act. §. Item is, cui. Instit. de oblig. quæ ex quasi contractu &c. possunt tamen partes, cum indebitum solvitur, aperte convenire, ut si postea appareat so-

lutum esse indebitum, restituatur, l. 2. in princ. ff. de condict. indeb. sed tunc non quasi, sed contractus innominatus, interveniente expresso consensu, seu pacto, celebratur, neque tacita, sed expressa obligatio contrahitur. Porro ex solutione indebiti nascitur actio personalis contra eum, cui quid indebitè solutum est, quæ condictio appellatur; nam accipiens quod sibi non debetur, tacite se obligat ad ejus restitutionem; cum æquitas id postulet, quia iniqum est, id, quod per errorem sine causa datum est, manere penes eum, qui accepit, cum alterius damno, l. Hæc condictio; 66. ff. de condict. indeb.

Præmittendum secundò. Sicut debitum, ita etiam indebitum varijs modis dicitur, prout videre est apud Abb. in c. ult. n. 8. h. t. & alios, potissimum autem tripliciter. Primò est indebitum naturaliter, & civiliter, quando scilicet solvitur, quod nec ex naturali, nec civili obligatione debetur, l. Si non sortem; 26. §. Indebitum; ff. de condict. indeb. quòd revocari potest debitum sub conditione propria, cujus scilicet eventus incertus est, l. Sub conditione; 16. ff. eod. Secundò. Indebitum est jure naturali, sed jure civili tantum debitum: ut si quis v. g. spe futuri numerationis chirographo suo fateatur, sibi numeratam esse pecuniam, quæ numerata non est, is intra biennium civiliter ex litteris obligatus est: non etiam naturaliter, cum nihil acceperit, ut patet ex Tit. Instit. de litter. oblig. Tertio. Indebitum quoddam est jure civili, naturali verò jure tantum debitum: sic ex nudo pacto sola obligatio naturalis: non etiam civilis nascitur, quæ actionem pariat, spectato Jure civili, l. Juris gentium; 7. §. Sed cum nulla; ff. de pact. & ibi: Gl. V. Obligationem.

XXXI. Jam ergo quaritur primò. An, & quando indebitè solutum repeti possit? Resp. primò Qui errore ductus existimans debitum esse, solvit id, quod nullo modo erat debitum, nec naturaliter, nec civiliter, potest id condicere, seu repetere, ut constat ex l. 1. & seqq. ff. de condict. indeb. & tradit Gl. in c. ult. V. Indebitum, h. t. Abb. ibid. n. 15. Molin. tract. 2. de just. disp. 567. num. 1. Zasius ff. eod. num. 9. v. g. Si debitor ignorans suum procuratorem, aut Oeconomum solville suo creditori, quod ipse ei debebat, iterum idem illi solvat, vel si hæres ignorans defunctum debitum solville, iterum solvat, tam debitor, quam hæres ipsius solutum repetere potest. Idque indistinctè procedit, non tantum si solutio debita facta sit per errorem facti: sed etiam per errorem juris: ut si v. g. is, qui pecuniam mutuam accepit, aliquid solvat ultra sortem, existimans se ex contractu mutui de jure obligatum esse, solutum repetere potest. Ratio est, quia cum quando id solvitur, quod nullo jure debetur, sine causa sit penes accipientem, naturalis æquitas non patitur, ut is cum alterius jacturâ locupletetur, l. Nam hoc; 14. ff. de cond. indeb. Quamvis plures Dd. ex recentioribus teneant, quod per errorem juris solutum non possit repeti, etiam si omnino fuerit indebitum. Idque probari potest ex l. Cum quis; 10. C. de jur. & fact. ignor. & alijs quibusdam, quæ tamen loquuntur in casu speciali: alioquin verò in multis textibus juris simpliciter, & sine ulla distinctione dicitur, indebitum per errorem solutum condici posse. Verum conditio indebiti nascitur ex naturali æquitate, l. In sum-

ma; 65. §. Quod ob rem; & l. se q. ff. de cond. indebi-
atqui eadem est ratio æquitatis naturalis, siue per er-
rorem juris, siue facti fiat solutio; semper enim iure
naturæ iniquum est, ut is, qui omnino indebitum
accepit, cum damno alterius locupletetur, cit. l. Nam
hoc ff. de condit. indeb. l. Jure naturæ 206. ff. de R. I.

XXXII. Respond. secundò. Si quis solvit,
quod iure naturali tantum est indebitum, sed civiliter
debitum, solutum repetere potest, siue per errorem
facti, siue juris solverit, Gl. in cit. c. ult. v. Indebitum;
h. t. & Abb. nu. 14. ut si quis v. g. spe accipiendi pec-
uniam mutuum chirographum dedit, in quo eam
reddere promisit, sed postea pecuniam non recepit,
chirographum repetere potest intra biennium, vel
agentem per exceptionem non numeratæ pecuniæ re-
pellere, l. Quasi; 7. C. de non numer. pecun. & per con-
sequens, si solvit quasi ex promissione chirographi,
ad id obligatus fuerit iure civili, solutum repetere po-
terit; quia error juris non nocet, quando agitur de
damno vitando, & non lucro captando, l. Error; 8.
in fine. ff. de jur. & fact. ignor.

XXXIII. Respond. tertio. Si quis solvit, quod
iure civili indebitum est, licet iure naturali præcisè
spectato sit debitum, tunc vel solvit per errorem, seu
ignorantiam facti, (modò ea non sit crassa, seu supi-
na, l. Nec supina; 6. & l. Error; 8. ff. de jur. & fact.
ignor.) & solutum repetere potest: Vel solvit per
errorem juris, & repetere non potest, l. Cum quis;
10. junct. Gl. v. Cum quis C. de jur. & fact. ignor. l. 2.
& seqq. ff. eod. Gl. in cit. c. ult. v. Indebitum; h. t. &
ibid. Abb. nu. 11. v. g. si hæres solvit legatum ex testa-
mento imperfecto relictum, per errorem facti, quia
putavit testamentum solemne esse, tum repetere po-
test: vel solvit per errorem juris, existimans ex testa-
mento imperfecto legata solvenda esse, & tum repe-
tere non potest, l. Fideicommissum; 7. junct. Gl. v.
Solutum; C. de condit. indeb. Excipi debet, nisi is, qui
tale indebitum solvit, sit persona, cui error juris non
obest, Gl. in cit. c. ult. v. Indebitum; Abb. ibid. n. 12.
ut miles, minor 25. annis, mulier, rusticus, & simi-
les personæ, l. Regula; 8. ff. de jur. & fact. ignor.

Præterea is, qui exceptionem non tempora-
lem, sed perpetuam habet, solutum per errorem, siue
facti, siue juris, potest repetere, l. Si sortem; 26. §.
Indebitum; & §. adeò autem, & l. Qui exceptionem;
40. in princ. ff. de condit. indeb. quia talis non est ob-
ligatus naturaliter, nec civiliter, vel civiliter qui-
dem, non autem naturaliter, Gl. in l. 1. v. Indebitum;
& v. Per errorem; C. de condit. indeb. Ratio est, quia
per talem exceptionem perpetuam redditur actio in-
efficax, ut quasi nihil debeatur, l. Nihil interest; 122.
ff. de reg. jur. Zafius ff. de cond. ind. nu. 13. dummodò
exceptio perpetua sit favorabilis, veluti exceptio
SCti Vellejani, quæ data est, favore mulierum pro
alijs fidejudentium: secus est, si sit odiosa, qualis est
exceptio SCti Macedoniani, quæ non est data, fa-
vore filiorumfam. sed magis in odium teneratorum;
Si ergo filiusfam. contra SCtum mutuum ac-
cepit: & postea paterfam. factus illud solvat, siue per
ignorantiam facti, siue juris, non potest solutum
repetere, cit. l. Qui exceptionem in princ. Gl. in cit. c.
ult. v. Indebitum.

XXXIV. Resp. quartò. Si quis sciens se ali-
quid non debere, nihilominus solvat, non potest il-

lud postea repetere, l. 1. & l. Si non sortem; 26. §. In-
debitum; ff. de condit. indeb. & l. Indebitum; 9. C. eod.
Ratio est, quia donare præsumitur, cujus enim per
errorem dati repetitio est, ejus consultò dati dona-
tio est, Reg. jur. §. 3. in ff. adeò autem indebitum scien-
ter soluti repetitio cessat, ut quamvis eà mente quis
solverit, ut repeteretur, non tamen possit repetere,
l. Quod si quis; 50. ff. eod. Aliud verò est de dubitan-
te, quando quis mente ancipiti, & titubante solvit
indebitum, huic enim, si postea constet, vel probari
possit, non fuisse debitum, repetitio conceditur, si
per errorem solverit, l. ult. C. eod. quia in re obscura
melius est favere repetitioni, quam adventitio lucro,
Reg. jur. 41. in ff.

XXXV. Resp. quinto. Si quid debeatur sub con-
ditione contingente, & pendente in futurum, quæ
potest non esse, & ante ejus eventum per errorem sit
solutum, id condici potest, & repeti tanquam in-
debitum, l. Sub conditione; 16. ff. de condit. indeb. quia
ante eventum conditionis nondum debebatur, sed tan-
tum spes erat debitum iri. Aliud est, si quid debea-
tur sub conditione necessarii futura, siue quæ cer-
tè est extitura, v. g. si moriar, tunc enim si ante mor-
tem solvatur, repeti non potest, l. Eam etsi; 17. & l.
seqq. ff. eodem.

XXXVI. Quæritur secundò, Cuinam in-
cumbat probatio, indebitum solutum esse, Respond.
Si quis pecuniam (vel aliam rem) indebitè à se per-
errorem solutam esse dicat, ideòque eam condice-
re, seu repetere velit, probare tenetur, quod in-
debitè soluta fuerit: nisi ejus adversarius, seu reus
conventus neget solutionem sibi factam esse, tunc
enim actor, si legitimis probationibus ostenderit, se
solvisse; adeòque reus de solutione ipsi facta con-
victus fuerit, onus probandi ipsi reo neganti in-
cumbit, quod pecunia, seu res soluta sibi debita
fuerit. Prout statuitur in c. Is qui; 4. & l. ult. h. t.
& in l. Cum de indebito; 25. ff. de prob. Prima pars pro-
batur, & declaratur, quia si reus ab initio contine-
tur, se recepisse pecunias, dicat autem ex debito sibi
fuisse solutas, hoc casu, præsumptio est pro eo, qui
pecunias accepit, tiam ut dicitur in cit. l. Cum de in-
debito; §. Sin verò ab initio, qui solvit nunquam ita
resapius est, ut facile suas pecunias jactet, & inde-
bitas effundat, nemo enim præsumitur jactare sum-
e. Super hoc §. 5. de renunc. ideò is, qui dicit se per-
errorem indebitè solvisse, regulariter id probare tenetur:
sicut etiam vice versà, si constet, contractum
esse debitum, sed debitor dicat se illud solvisse, et-
dem onus probandi incumbit, l. 1. C. de probat. so-
lutio enim est quid facti, ideòque non præsumitur,
sed ab affirmante probari debet, ergo etiam solutio-
nem indebitè factam esse, affirmans probare tenetur.
Dixi regulariter, nam excipiuntur pupilli, minores,
mulieres, milites, agricultores, forensium rerum ex-
pertes, seu imperiti, vel alias simplices: imò, & de-
fides, his enim lex onus probandi se indebitum solvis-
se non imponit, nisi contendat partem soluti fuisse
indebitam, partem fuisse debitam: alioquin is, qui
accepit pecunias, probare debet ei debitas fuisse so-
lutas, prout decernitur in cit. l. Cum de indebito;
§. Sin autem is:

Porro quod dictum est, eum, qui dicit se pecu-
niam, vel aliam rem indebitam solvisse, hoc ipsum

probare debere, quia nemo præsumitur jactare suum, sed potius solvisse ut debitum: hoc ita demum procedit, si solvit, adjectâ, sive expressâ causâ; v. g. ex accepto mutuo, ex empto, donato: nam si tantum constet simpliciter numerationem pecuniæ esse factam, sive quod Titius v. g. pecuniam numeravit Cajo, nullâ causâ expressâ: tum potius præsumi debet, mutuum, aut depositum esse contractum; quia nemo faciliè præsumitur donare, nisi modica sit quantitas rei, ut tradit *Gl. in l. Cum quid; 3. V. Pro cauto; junct. Gl. margin. lit. G. ff. de reb. credit.* adeoque hoc casu, nisi ex qualitate personarum aliud colligatur, si Titius dicat, se pecuniam numeratam Cajo ipsi mutuum dedisse, vel apud illum deposuisse, audiri debet, nisi Cajo contrarium probet, *Abb. in cit. c. ult. num. 2. h. t.*

Secunda pars, sive exceptio allata in *cit. c. ult.* probatur; quia si reus, sive creditor conventus per

conditionem indebiti ob errorem soluti, neger solutionem sibi factam esse, eaque contra ipsum legitime probata sit ab actore, tunc ob mendacium, de quo reus conventus est convictus, stat præsumptio contra ipsum, quod malam causam foveat, ideoque intentio actoris confirmatur, videlicet quod non pecuniam debitam, sed per errorem indebitam solverit: ac proinde adversarius, seu reus conventus, contra quem stat præsumptio, probare cogitur, quod pecuniam debitam acceperit: nam ut dicitur in *cit. l. Cum de indebito in princ.* absurdum est eum, qui ab initio negavit, pecuniam se accepisse, probationem non debiti, hoc est, indebiti ab adversario exigere, licet enim aliâs actori incumbat probatio ejus, quod affirmat: tamen cum est præsumptio contra reum, in illum rejicitur onus probandi, *l. Sive; 16. C. de probat. Gl. fin. in cit. c. ult. h. t.*

TITVLVS XXIV.

DE DONATIONIBUS.

In superioribus Titulis de contractibus onerosis, seu reciprocis, qui ex utraque parte contrahentium obligationem continent, actum fuit, videlicet de venditione, & emptione, locatione, & conductione, item de permutatione, ac Feudo: nunc sequitur, ut de contractibus gratuitis agatur, quorum præcipua species est donatio.

§. I.

Quid sit donatio, & quomodo perficiatur, & de varia eius divisione?

I.

ASERTIO I. Donatio dicta à dono, quasi doni datio, *l. Senatus; 35. §. 1. ff. de mort. caus. donat.* communiter definiri solet, apud Hostiens. in *summ. h. t. & Abb. ad rubr. hujus tit.* Est rei licite (sive non prohibita donari) nullo jure cogente, ex mera liberalitate facta collatio, seu datio, prout sumitur ex *l. Donari; 29. ff. h. t. & l. Donari; 82. ff. de R. I.* Dicitur Nullo jure cogente, nec naturali, nec civili, secundum *Gl. pen. in cit. l. Donari; ff. de R. I.* Ideoque requiritur, ut res donata non fuerit debita, saltem de jure, sive ex iustitia, ac proinde videtur comprehendendi sub donatione sic definita etiam donatio antidotalis, sive remuneratoria, quæ sit ex obligatione gratitudinis, ex qua tamen nulla actio, aut jusexigendi in externo, vel interno foro producit. Verum *Abb. c. l. & Clarus; §. Donatio; q. 3. n. 1. Aror p. 3. lib. 11. tract. de donation. c. 1. qu. 1.* & alij communiter probabilius docent, quod donatio remuneratoria, quæ sit ex causa, seu debito gratitudinis, vel quævis alia, quæ sit ob causam, sive merita præ-

cedentia, non sit merè liberalis, ac perfecta donatio, qualis hic definitur, prout constat ex *l. Aquilius; 27. §. 1. ff. eod. h. t. in princ.* ubi illa propriè donatio appellatur, quam quis propter nullam aliam causam facit, quam ut liberalitatem, & munificentiam exerceat: adeoque à donatione perfecta, & propriè dicta excluditur etiam obligatio gratitudinis. Porro *Barbof. in Collect. ad rubr. h. t. n. 5.* aliam definitionem adfert, quia putat hanc definitionem etiam alijs contractibus convenire, ut commodato, precario, & mutuo, in quibus etiam, nullo jure cogente, ex mera liberalitate aliquid datur, seu conceditur. Verum in his contractibus, quod datur, non merè liberalitater conceditur; cum reddi debeat, quod datum est: vel in specie, seu individuo, ut in commodato, & precario, vel aliud ejusdem generis, ut in mutuo. At, qui donat, is dat eâ mente, ut statim velit accipientis fieri, nec ullo casu ad se reverti, *cit. l. 1. in princ. ff. h. t.*

II. Assertio 2. Jure novo ex Constitutione Justiniani in *l. Si quis; 35. §. ult. C. h. t. & §. Aliæ autem; Instit. eod.* donatione etiam simplici, seu nudâ promissione factâ, & à donatario acceptatâ (cum ad pactum, seu contractum requiratur mutuus consensus duorum, *l. 1. §. 2. ff. de pact.*) etiam ante rem traditam, jus, & actio donatario acquiritur, per quam cogi potest donator, ad rem donatam tradendam: licet ante traditionem, veram, vel fictam rei donatæ, ejus dominium donatario non acquiritur, sicut venditione mutuo consensu contractâ, jus, & actio hinc mercis tradendæ, illinc pretij solvendi nasci-